

Ud
510

21.169



Christ. Joh. Bergeri

in Christiano-Albertina M. P. P. O.

Super

CHIRURGICÆ

genuina indole, et recta discendæ
ratione, ad Medicinæ Studio-
fos allocutio.



Hæc aut omnino non discimus, aut prius
desistimus, quam intelligamus cur di-
scenda sunt.

Hamburgi 1775.

apud Buchenröderum et Ritterum.

Christ. Joh. Bergeri
in Chirurgo-Alberino M. P. P. O.

CHIRURGICAE

genuinae methodi et recte didicenda

ratione et Medicinis Studio

toti applicanda.

Haec autem operatio non didicenda aut prius

didicenda, quam intelligenda est de


libro huius

Hamburgi 1775.

apud Buchholzianum et Rindmann



Nostis, Commilitones Carissimi, mortalium
sapientissimum præclare dixisse, hanc
viam ad gloriam proximam, et quasi com-
pendiarium esse, si quis id ageret, ut,
qualis haberi vellet, talis omnino esset. Atque id ipsum
ego Vobis Medicinæ studium nunc, et facultatem
tandem, optimis auspiciis profitentibus, quam maxi-
me commendatum esse vehementer non tantum cu-
pio, verum etiam per omnem vitam Vos habituros
esse securus confido: quid enim ab honestate remo-
tius? quid bono et liberali viro indignius vnquam
iudicabitis? quam insidiosum qualecunque simula-
tionis flagitium, nedum scientiæ et facultatis, quæ
sanitatem, rem omnium optimam et desideratissimam,
agrotis fidenter promittere sustinet, quæque optimo
certissime iure, non nisi multo labore, assiduo stu-
dio, varia exercitatione, plurimis experimentis, al-
tissima prudentia, præsentissimoque consilio constare
et comparari creditur, in qua denique periculum
tantum est, ut maius in ullo mendacio esse non pos-
sit. Cum itaque persuasi summa diligentia id affe-
ctatis, et semper, ut speratur, affectabitis, ut tales
revera sitis, quales videri tanta ambitione contendit-
is, omnem etiam rectam Medicinæ rationem exacte
non tantum noscere, summoque studio in uniuersum
eius



eius ambitum penetrare, verum etiam perfectam artis facultatem animis Vestris inferere, omnibus viribus eo alacrius allaborabitis, quod, Quintiliano Præceptore, dudum, sine dubio, iam cognovistis, nihil in omni disciplinarum genere omnino peius esse iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiæ perversionem induerunt.

Atqui, Commilitones Optimi, recta Medicinæ ratione, ut plurima alia gravissima, ita univèrsam Chirurgicæ ambitum imprimis et maximo respectu comprehendi, tum demum Vobis planissime declarabitur, cum indolem eius, et summam efficaciam penitus introspicere contigerit: continget autem certissime, si modo libero et incorrupto iudicio cuncta curatissime considerare et contemplari, animumque in plurimorum morborum rationes, et gravissimas curationum externarum partes, diligenter versare libuerit.

Itaque Chirurgicæ studii cupiditate Vos incendi, et in fertilissimum eius campum ardentem penetrare non tantum cupio, sed etiam Vestra utilitate incitatus, Vestroque favore, et ipsius rei dignitate sustentatus, gravissimæ excursionis socium me Vobis adiungo, fidum et diligentem, et talem certissime, qui omnem in rem Vestram aleam periclitari, animoque æquissimo confidenter adire, ipsa muneris demandati pacatione obstrictissimum se teneri, nullo vitæ momento unquam dubitabit.


In causam vero ingredientem, eam ad hanc rationem commodissime constituendam atque agendam esse forte iudicabitis, ut statim de Chirurgicæ certa conditione atque mensura definite distincteque inter nos conveniat, et omnis de termini huius comprehensione et artis qualitate iactata dissensio removeatur:




tur: tum vsus eius, ambitusque et efficacia, et tandem recta eius discenda ratio quæratur et indicetur. Agite ergo, hæc omnia, quemadmodum voluistis, confociatis viribus diligenter, et concinna breuitate, transigere nunc allaborabimus.

Scitis Medicinam tribus in vniversum vti salutari-
bus curationum rationibus, maiorem necessario, vt
Paulus voluit, vim ipsis morbis habentibus, nimi-
rum salubri victus ordinatione, et instrumentis ex-
traneis variis, aptis, casu, observatione, et vsu re-
pertis et comprobatis, naturam medicatricem adiu-
uantibus et corrigentibus, corpori ægroto, pro indi-
cationum conditionis, et instrumentorum potentia
differentia, certa methodo vel ingestis, vel etiam
superimpositis, multipliceque ratione et arte externe
applicatis, Diætericæ, Pharmaceuticæ, et Chirurgi-
cæ titulis antiquitus solenniter distinctis atque de-
scriptis: neque magis Vos præterire potuit, harum
vltimam, circa externam morborum faciem et cura-
tionem occupatam, respectu latitudinis in controver-
siam quandam incidisse, a longa Medicinæ memoria
motam et agitatam, neque in hunc vsque diem om-
nino decisam atque confectam.

Etenim Doctorum placita et præceptiones Vobis
insipientibus manifestum sine dubio fuit, eorum
plurimos, vocabuli, antiquitatis arbitrio recepti,
Etymologiæ stricte nimis et tenaciter inhærendo,
Chirurgicam non nisi cruentæ sectionis atque vltio-
nis angustissimis cancellis, vel saltem manualium me-
dentis operarum paulo latioribus limitibus circum-
scribendam et coercendam voluisse adeo, vt eam di-
cerent breviter et absolute manualementem:
vel artem, quæ doceat rectum vsum operationum,
quæ in humano corpore manu exercentur: vel esse




tertium Medicinæ curatricis instrumentum, quod morbis medeatur incidendo, vrendo, artus luxatos, et ossa suis sedibus mota in nativum locum reducendo, atque id genus alia conatu chirurgico, et manuum artificio: vel denique univrsim et omnibus modis esse Encheirisin, id est, manuum admotionem solertem, quæ vel ad partes ipsas corporis, quantum ad ipsas attinet, percurandas et medendas adhibeatur, vel ad ea, quæ inciderunt incommodantia ac nocentia, quæ aliena dici possunt, detrahenda: sic triplicem in univrsum recte haberi omnem Chirurgicæ speciem, compositivam, divisivam, et extractivam, Synthesis, Diæresis, et Exæresis solenni denominatione antiquitus seperatam et comprehensam; eamque omnem quidem in plurimorum morborum curatione ex usu et efficacem esse, sed in Diæresi maximam eius dignitatem locari, atque imprimis ferro et igne sævissimis morbis potenter mederi. Nunc, Commilitones Optimi, si, quemadmodum monui, plurimorum morborum rationes pro facultate Vestra circumspicere, et curationum externarum creberrimas partes, modosque multiplices et saluberrimos animis et cogitationibus Vestris repetere velitis, profecto videbitis, definitionibus illis potentissimam quidem atque heroicam externæ curationis partem, attamen non omnem Chirurgicæ rationem et potestatem describi et contineri: quamquam enim sævissimis malis sævam etiam et miserabilem, sed necessariam et efficacem manum admovere, magnitudine calamitarum et curis tandem fracti, sæpe compellentur Medici, hos tamen ipsos morbos, si non omnes et semper, multos saltem et sæpius, et numerosos alios regulariter, blandiorem etiam, incruentam, et minus violentam, haud tamen minus opportunam



tunam et efficacem externæ curationis rationem medicamentariam, irritantem, evacuantem, relaxantem, roborantem, derivantem, tum admittere, tum sibi vindicare, ratione non minus medica, quam vsu comprobato ita evictum et certum profecto noscitur, quam quod certissimum: quod si itaque positos illos Chirurgicæ limites contractos nimis, et datas consequenter definitiones vitiosas, et definito multo angustiores deprehendi nunc iudicaveritis, id certe non nisi cum causæ cognitione, et iure Vestro recte fecisse omnino videremini.

Vellem autem Vobis is ego autor fieri, vt firmiter ita statutum etiam habeatis, atque omnem in universum morborum externam curationem, nuda manu, vel instrumentis aptis armata, vel medicamentis corpori super impositis, aut quacunque alia ratione applicatis exequendam, Chirurgicæ præceptis comprehendendi putetis; illisque tradi speciales curationis regulas, ex fundamentis Therapiæ haustas, et comprobato vsu confirmatas, medentemque in omni curatione secure ducentes, quousque illa auxilium externum, multiplex et efficacissimum, tum postulat, tum etiam admittit.

Equidem in bonitatem ingenii Vestri peccare mihi viderer, si suspicari velim, Vos quæstionis huius discussionem et decisionem, si non ludicram et nugatoriam, indifferentem saltem et Adiaphoron existimare, et forte satis habere, si quis, vt Galenus voluit, in eis doctrinis, quibus scientia acquiritur, vocabulum atque significationem eius pro Doctoris voluntate proferat, confestimque ad rerum enarrationem progrediatur: animis namque Vestris obscurum esse vix poterit, dubii huius recognitione non vanæ cuiusdam vocis inanem agitari controversiam,



sed feriam: maxime curatricis Medicinæ causam ad-
versus eos imprimis redintegrari, qui inconsulta illa,
quam commemoravi, limitum coarctatione, atque
imprudente rerum intimo nexu coherentium vio-
lenta disjunctione, non tantum Chirurgicæ præce-
ptionum, sed univærsæ Medicinæ accuratori pertra-
ctationi vehementer et adeo nocuisse videntur, vt
nimis famosa illius tum morborum, tum maxime
artificum incongruæ divisionis, infautissimæque scis-
sionis autores exstiterint et promotores infelices.

Agite, Commilitones, factos Medicorum, quem-
admodum id studiis Vestris omnino debetis, peni-
tius introspecti, omnemque artis salutaris sortem dili-
gentius diiudicari cupio: dolebitis statim, impruden-
tes Æsculapii filios, summa virtute inventæ et tradi-
tæ artis genuina salubriaque dogmata mature dese-
ruisse, et valde diversa, tum rationis medicæ, tum
curationis præcepta mox induxisse: scholasticis So-
phistarum artibus vehementer indulxisse; in castissimi
humanæ naturæ studii locum inanissimas subtilitates
invertisse: omnem curatricis Medicinæ rationem in
tres partes diduxisse, vt vna esset, quæ victu, altera,
quæ medicamentis, et tertia, quæ manu mederetur,
et singulis, forte non sine quadam theoreticæ utili-
tatis specie speculatione separatis, singulos etiam, vt
quidem videtur, atque diversos artifices imprudenter
præposuisse: curationem externam, vel vt nimis la-
boriosam, imprimis neglexisse, ad servos gymnosti-
cos atque Aliptas incaute transtulisse: univærsam cu-
ratricis Medicinæ scientiam incongrua distinctione
in externam internamque seiunxisse: hanc, vel vt
provinciam potiorem, si dividi possent, sibi, et clau-
sæ arti exclusivum Medicinæ nomen retinuisse: il-
lam despexisse, et detrectasse, atque miserandum in
mo-

— 3 —

9


modum destitutam, et omni sapiente cultura orba-
tam, ingeniis infirmis, illiteratis, omnisque antiqui-
tatis ignarissimis, et servili fere vernilitate oppressis,
perfida levitate vel ut prædæ reliquisse,

non ita Romuli

Præscriptum

veterumque norma,

nullum namque dubium cuiquam manere poterit,
universam artis salutaris rationem et facultatem an-
tiquissimo ævo concinnæ simpliciter pulcherrimo
nitore imprimis exsplenduisse, et optimum genuinæ
Medicinæ Parentem omnis morborum curationis mo-
di, pro sæculi sui facultate omnino fuisse expertissi-
mum, externi autem imprimis amantissimum, cum-
que integram constanter exercuisse artem, et sine
ullo effectivæ disiunctionis vestigio, posteritati tra-
didisse incorruptam Sane miretur aliquis, neque
id iniuria, tanta tamque perenni fundamenti infirma-
tione, superstructam immensam ædificationem tan-
dem non corruisse totam; non quidem corruit, Opti-
mi, stabile et duraturum scientiæ salutaris ædificium,
et vero bonam cordatiorum Medicorum fidem im-
ploro, annon tantus Chirurgicæ neglectus a genui-
no naturæ humanæ studio quam longissime tandem
abduxerit? curiosæ Anatomes culturæ vehementer
nocuerit? accuratæ observationis diligentiam obtu-
derit? maximamque efficacioris curationis potestatem
debilitatis Medicorum manibus infelicitè excusserit?
Non itaque corruit æternum Salutaris Apollinis
templum, diuturnis licet ac temerariis impruden-
tium conatibus vehementer tentatum, propriæ ni-
mirum



mirum et indestructibilis stabilitatis tum summe virtute, tum constantissimi ingenuorum Præfulum studii felicitate perdurans et sustentatum: omnem enim rei medicæ sortem accuratius et e composito advertentibus lucidissimum certe videbitur, non paucos omnium temporum atque sectarum principes Medicinæ Professores, inconsideratissimis illis et adeo pernicialibus incautorum molitionibus, non tantum directis atque invictis intercessionibus, verum etiam exemplo et ambizioso Chirurgicæ studio constanter obstitisse: hinc nullam Medicinæ provinciarum divisionem vquam contigisse omnino perfectam, Græcos quidem omnes, ad Paulum vsque illum Æginetam, Chirurgicæ facultatis constanter permansisse amantes; neque Arabes in totum eius fuisse vacuos, eorum primarios studiosos etiam; nuperiores semibarbaros multa cum affectione externæ curationis rationem excoluisse; et felicissimam tandem recentioris ætatis pulchrarum vtiliumque litterarum et artium studio contentionem, cum cultioris Anatomies curiosa tractatione, genuina et efficacioris Chirurgicæ culturam in vaiversum feliciter non tantum restaurasse, verum summæ vtilitatis titulo cunctis etiam effecisse commendatissimam: at vero animum advertentes videbitis, intimum illum et desideratissimum vtriusque medicæ facultatis nexum, nondum plane ex illo vulnere coaluisse, et medicorum plurimos, divisis etiamnum professionum vicibus, Chirurgicam negligentes, et quasi non ad suum officium pertinentem opinantes, ad eos non tantum recurrere, quæ desertam artem occupaverunt, et nimis sæpe principalem medelæ partem et operam ab illis expectare, sed ex toto etiam efficacissimam omnis Medicinæ rationem a fructuariis, et vscupione securis, ut suam nunc reposeere compelli. O s



O si angulus ille

Proximus accedat, qui nunc deformat agellum! deformari enim artem sophistico illo Medicinæ schismate nunquam dubitabitis, si vel morborum tantum in externos atque internos famosæ illius scholarum separationis inanitatem libero consilio consideraveritis: quid enim? annon intellectui Vestro clarissimum est? ab omni sine exceptione morbo universæ corporis œconomix integritatem, plus minus, sed necessario vitari, hominemque, a qualicumque causa læsum, respective quidem, sed totum semper ægrotare, periclitari, vel etiam convalescere, curationem autem maximo respectu admittere nullam nisi generalem, et ad præsentem corporis statum prudenter directam, pro indicationum licet varietate, et remedium potentia, diversa ratione modificatam et applicatam: sed artem in tanto splendore, in auspiciato illo artificum perdurante discidio, imprimis deformari et debilitari, tum maxime daturi estis, cum inseparabilem arctissimamque vtriusque Medicinæ necessitudinem, et spectatam Chirurgiæ in morborum curatione efficaciam explicatam, et vsu exploratam tandem habebitis: cum videbitis, fundamentalium Chirurgiæ præceptionum summam proxime ad plurimorum intricatissimorum morborum Ætiologiam facere, lucidissimam signorum rationem suppeditare, securissimum difficilis Prognosis fundamentum esse, certissima curationum postulata indicare, et potentissima felicitis medelæ media copiose largiri, adeoque universam Chirurgiæ scientiam et facultatem seriis Philiarorum studiis esse dignissimam, eamque multo certissime plus in recessu premere et occultare, quam fronte promittere,

Atque




Atque ego in huius rei confirmationem vel veterum iudicio, et magis fortuna, nunc possem esse contentus, quos indubitatum est, summa cum diligentia atque successu Chirurgicam constanter non tantum excoluisse, verum etiam solidæ huius scientiæ beneficio, cum quadam rudiore duntaxat anatomica cognitionis coniunctione, occultatissimorum morborum tum naturæ, cum maxime felicitis curationis scientiam feliciter sibi imprimis comparasse. Possem venerabilis antiquitatis Illustrum virorum testimonio uti, velut Celsi, qui omnes medicinæ partes ita connexas esse affirmat, ut ex toto separari non possint, sed ab eo tantum nomen trahere, a quo plurimum petant: vel etiam Galeni, qui iuvenis Gymnastes, et gladiatorum vulneratorum curationibus occupatus, alia quoque opera chirurgica se experturum fuisse testatur, si perpetuo in Asia mansisset, sed Romæ civitatis morem secutum, iis permisisset, quos Chirurgos vocant, maximam eiusmodi operum partem: oprime tamen permultos Clarissimos Medicos dixisse monet, Medicinæ partes tuam operam requirere, tum quæ manu, tum quæ medicamentis, tum quæ victu medeatur: victus autem convenientem rationem quandoque manuum opus requirere, quemadmodum Chirurgicæ et victus ratio medicatione utantur: interim notabitis, Galenum nostrum scholasticis subtilitatibus et distinctionibus haud parum delectatum fuisse, eumque docuisse Chirurgicam proprie et sensu stricto esse alieni per incisiones concinnationesque, cum via quadam et ratione ablationem; adhuc vulnerum atque ulcerum curationem, quæ in corpore humano administrantur. Possem denique ad solennem illustri Hermanni Bôrhaavii protestationem Vos ablegare,

gare, cuius viri in Medicina nominis et meritissima autoritatis fastigium Vos præterire non potuit, qui practicæ Medicinæ mysteria, pendentibus ab ore eius alumnis, explicaturus, et Chirurgicæ præceptionum pulcherrimam concinnationem præmissurus, miraturis forte discipulis, et præiudicio de Chirurgicæ et Medicinæ separatione imbutis, summa ingenuitate et fide in ipso orationis limine declaravit, se quidem sæpe cogitasse, an sine Chirurgia docere Medicinam posset, sed rei impossibilitatem tandem plane expertum fuisse, suoque iudicio nullam in universum Medicinam sine Chirurgia consistere posse: similiter Joannem de Gorter, illustrem et optimum nostræ ætatis Chirurgiæ repurgatæ Professore, docuisse videris: nimirum latentium morborum naturæ noticiam non nisi a similibus externorum accurata cognitione pendere, in quibus ad oculum non solum pateant cognitionis criteria, sed et omnes mutationes evidentes sint, et melius cognoscatur quænam medendi methodus præ cæteris plus valeat ad medendum: summa itaque iniuria hanc partem Chirurgo soli traditam et a medicina avulsam esse, huiusque defectu scientiam medicam plus damni passum esse, quam si omnibus reliquis auxiliatricibus partibus fuisset mutilata.

Verum patiemi, Commilitones, exempli cuiusdem singularis, et attentione Vestra dignissimi opportuna recensione, tantæ autoritatis vocata in subsidium testimonia nunc illustrari.

Vir stirpis et munerum splendore illustrissimus, habitu repletior, molitionibus hæmorrhoidalibus, raro fluentibus, sæpius mucosis, doloribusque colicis obnoxius, testiculi sinistri induratione tricennali afflictus, et pollutionibus insolenter frequentibus vehemē-




hementer vexatus, annum ætatis agens quinquagesimum quartum, post lauta, protractaque et invita convivia, initio autumnus incidit in animi insuetam ægritudinem, corporis lassitudinem, post somnum maximum, appetitus imminutionem, levioris mictionis difficultatem, et notabilem copiam vrinæ decesionem, laudabilis cæterum coloris, sed valde mucosæ, spumantis, et sedimentum brevi deponentis copiosum, album, velut farinaceum, et ponderosum: his iungitur sensim incerta. Abdominis molestia, tensio, flatulentia, pulsus contractioris ominosa frequentia, linguæ inhumectæ insuperabilis ariditas, inquietudo nocturna, animi viriumque summa deiectione, Dysuria, et iteratior vrinæ stimulus, notabilior copiam imminutio, odoris exaltatio, sedimenti ponderosi augmentum, et corpusculorum distinctorum, genituræ similium, copiosa admixtio.

Diligentior genitalium lustratio monstrat glandis orificii excoriationem distinctam, purpureumque colorem, atque ex vrethra pressa humoris tenuis et albescentis paucarum guttularum profluvium. Hinc suspicionibus de Gonorrhoeæ præsentia iudicatur, moliminibus hæmorrhoidalibus iuncta, cui diæta tenui, refrigerante, et diuretica, balsamo de Copaiva, oleo amygdalarum diluto, Pillulisque purgantibus mercurialibus, secundo iteratis, occurrendum videbatur.

Osidiuo peracto, notata symptomata, sensim extincta, evanescent plurima, excepta tamen gravis insomnia, et sedimenti descripti, perseverantia.

At revertente, ut videbatur, legitimo sanitatis gaudio, mirabile et insolentissimum inopinato intercurrit Phænomenon, adstantium Medicorum fidem difficulter, nec nisi Autopsia et certo experimento con-



convictorum, meritis et obtinens, nimirum aëris elastici per penem, velut Aeoli pila emissi, explosionis reciprocatio, indolor, interdum levior, saepius vehemens et valde sonora, nunquam nisi peracta urinae excretionem observabilis, nec tamen constans, sed incerta, et flatibus in recto intestino coacervatis et insequentibus ut plurimum sociata.

Medio decembri, nocte quadam, accedit dolorosa Epigastrii tensio, vehementer stipata inquietudine, sudore frigido, pulsu debiliore, contracto et celeri. Oponitur enema, mediocrem alvi deiectionem parans, et guttulae carminativae, ructus copiosos, plenosque, et fere vomituritionis speciem cum levamine procurantes.

Vesperante caelo pulsus elatior, sed durus et frequens, lingua inhumecta, summa inquietudo, nox gravis et insomnis.

Prima luce, perdurans et aucta febris vehementia, nullo licet distincto ventris dolore sociata, pedis venae sectionem sradet. Horis post venae sectionem non ita multis, inopinatus et levis horror excipitur calore continuo crescente, tandem vehemente, et nocte gravissimo, horis matutinis in sudorem copiosum, acidum spirantem, et valde debilitantem resolutum et terminatum.

Tribus insequentibus diebus iteratus similis febrilis insultus, absque ullis in urina laudabilis coctionis signis, debiles patientis vires vehementer convellit.

Die quarto, insperatum fere, sed perfectum et constans periodicae febris silentium omnium erigit animos, pulsusque quietus, mollis et plenus, lingua successively mollis et uvida, et appetentiae restauratio, quin etiam flatuum per penem erumpentium

vari.



raritas; et absoluta tandem cohibitio, faustiora quæque polliceri videntur: constantissimæ tamen et ominosæ insomniæ pertinacia ancipitis speculæ confidentiam haud parum temperat.


Fatiscentibus et tandem etiam silentibus flatibus illis vrinæ, lotii, laudabilior copia excreti, levius similiter et imminutum sedimentum, substantiæ cuiusdam, squamularum formam referentis, cineraceæ, duriusculæ, velut sevosæ, et inodoræ, notabilem admixtionem ostendit.

Decembris extremo, sensim exoritur testiculi sinistri, tricennio indurati, levis primum molestia, mox Epididymis, rarisque deferentis, et totius tandem testiculi gradalis tumentia, suspensorio fulcienda, cum terribili animi viriumque defectione, et omnis appetitus prostratione coniuncta.

Paucis interiectis diebus acutior tumentis destituli dolor, ad regionis lumbaris sinistrae et femoris plagas diffusus, pulsus frequentis durities, aridæ cutis et lingue calor, et flammeus imminutæ vrinæ color, tum venæ in brachio sectionis, tum enematis emollientis, tum sacculi discutientis, et diætæ antiphlogisticæ auxilium postulant.

Interveniente moderati, grati, perseverantis, et ægrum rescipientis sudoris, laudabilisque coctionis beneficio, turbatæ vrinæ sedimento indicato, protinus omnia vicissim pacantur, sine vlla nihilominus ad solam inclinatione desideratissima. Proximo post venæ sectionem die, statuum illorum mirabilium, sine vlla prægressa vel comitante minctionis difficultate, ominosa redintegratur calamitas, tres integras septimanas æquali vehementia duratura, et sensim decrefens atque oppressa, cum descripti sedimenti ferossæ copiosa secessione iterato sociata.

Vt




Vt rem in pauca conferam, hærentes tandem, et sibi difficulter consentientes Medici, variabili insolentis*) morbi schemate, summaque causarum obscuritate permoti, atque in rebus ambiguis, et dubia sp̄c, lenissime quæque consilia semper tutissima esse iudicantes, ne occidisse, nisi servassent imperitis viderentur, ab omni coniecturæ ambiguitate, et potentioris curationis periculo in præsens tempus abstinere, ad exterorum tum Medicorum, tum Chirurgorum, salutaris scientiæ et facultatis laude Clarissimorum, iudicia protinus confugere, et interim, quiescenti quidem sed ancipiti morbo, non nisi blandiorem Medicinam adhibere, felicissimis faulricis fortunæ auspiciis prudenter decernunt.

Itaque exploratis attentius, vt decuit, intestini recti et prostatarum conditionibus, iisque, quoad tactui licuit, sanis repertis, conveniens diætæ norma ordinatur, infusi vulnerarii theiformis, mellis narbonensis, et feri lactis dulcis vsus copiosus præscribitur, testiculo tumentis sacculus potenter discutiens imponitur, constantissimumque suspensorii fulcrum commendatur: de reliquo imploratum peritorum iudicium consiliumque expectatur.

At vero prudentis expectationis, simplicisque et blandæ huius medelæ beneficio, omnia sensim pacari, appetentiæ et digestionis ordinem restaurari, mollis linguæ grate ominosum uvorem revocari, excre-

*) Conf. Ephemerid. N. C. Dec. 1. an. 2. observ. 46. &c. Dec. 3. an. 9. & 10. observ. 134. *Bresl. Natur. und Kunst. Geschichte* 35 Versuch, Januar. Cl. IV. Artic. XIV. Morbi huius rarius observati, et defunctorie in univ. sum descripti, genuinam naturam feliciter tandem affectus est et illustravit, Clarif. J. L. Petit, *Traité des maladies chirurgicales et des opérations qui leur conviennent* par M. Lesne. Paris 1774.



cretionis vrinæ incorruptam integritatem restitui, refocillantis somni exoptatissimam beatitudinem reintegrari, virium vigorem relevari et confirmari, veteranam testiculi tumentis duritiem emolliri, perfecteque dissipari, et morbum intricatissimum, tempore contractum, tempore nunc etiam solvi, optatisque omnibus et difficulter expectatis feliciter satisfieri, atque Virum splendidissimum, insperata fere fortuna, a ferius advectis peritorum responsis non nisi valentem, et sanitati perfecte restitutum iam inveniri, mirabundi, et Almi Sospitatoris miserentem gratiam concelebrantes lætantur Medici.

Vir certe illustrissimus, nulla alia vsus curationis ratione, Martio mense gravissimis muneris officiiis redditus, verisque initio itineri concitatiore et permolesto feliciter conficiendo par, et anniversario fontium pyromontanorum vsu efficaciter roboratus, decennio incolumis supervixit, et tandem, febris algidæ Tortianæ truculentia oppressus, ex vita discessit.

Quodsi nunc, Commilitones Optimi, advocatorum in consilium iudicia ad casus huius insolentis expositionis integritatem facere contenditis, palatum Vestrum vehementer laudo, summamque eorum cum Vobis communicare statim et perlubenter aggredior.

Itaque primo magni nominis celebritate Clarissimorum Medicorum par, subiunctis casus expositioni quaestionibus, fraterna profusus coniunctione, sequentem in modum satisfecit.

Quæ causa habitualis doloris, pro colico habiti? eam inveniri inveteratam dispositionem hæmorrhoidalem: nimirum hunc sanguinem æstuosum et habitibus refertissimum esse, fierique sæpissime, non tantum flatuum intestinalium occasionem, sed etiam multiplicitatem aliorum Phænomenorum causam: sed maxime laticem hæmorrhoidalem aberrantem. Quæ.


Quænam ultimi morbi descripti causa et sedes: causam esse aberrantem sanguinem hæmorrhoidalem: sedem vasa cum hæmorrhoidalibus intimiori nexu coniuncta, nimirum colli vesicæ vrinariæ, vesicularum feminalium, partiumque proximarum omnium, communem ex hypogastrica originem ducentia: sæpius etiam ex arteria hæmorrhoidali intestini recti ramum specialem in vesicæ vrinariæ collum propagari, seque existimare, ita in præsentî ægrotò naturæ placuisse. Itaque sanguinem hæmorrhoidalem aberrantem, halitibus plenum et flatulentum, acrem etiam et æstuosum, et serum in pituitam deteriorantem, in casu præsentî genuinam causam merito culpâri, non tantum notatorum mutabilium symptomatum omnium, verum etiam testiculi indurationis, et insequentis inflammationis, imò ipsius etiam æris in vesica vrinaria generationis, eiusque reciprocæ per urethrem explosionis.

An respondens exulceratio vesicæ vrinariæ et intestini cuiusdam proximi necessario admittenda videatur, ad explicandam flatuum per penem explosionem, vehementem imprimis et valde sonoram?

An descriptorum symptomatum, et vniuersi morbi decursus conditiones, alio forte respectu, dictæ læsionis necessitatem involvant?

Utrumque negari, neque existimari simile quid in morbo præsentî latitare: flatuum per penem, tum in coitu ex vasis feminalibus, tum cum vrina, vel post vrinam, emissorum exempla in Medicorum fastis, sine ulla solidæ partis læsionis suspicione, notata reperiri: neque adeo novum esse, flatuum etiam vena secta prurumpere.

An crepitus ex vesiculis feminalibus iusto maioribus, et genitura turgentibus, procedere possint? eventus possibilitatem in vniuersum concedi, eamque



ex præmissis luculenter derivari: præsentem autem patientis statum huius esse conditionis, omnino negari.

An genitura, nullo infveto in vrethra dominante obstaculo, in vesicam vrinariam repelli possit? negari in totum: nimirum sphincteris vrinæ clausuram obstare, neque vim ullam semen repellentem in vrethra iuveniri.

Quamquam in casu præsentis medendi rationem adhibere, et an fontium quorundam mineralium vsurpatione conveniat?

sibi statim vehementer placere vacatum in subsidium infusi vulnerarii, mellis, et feri lactis præstantissimum auxilium: his tamen sociari oportere aquas, primo selteranas, per tres hebdomadas, tum pyrmontianas per quatuordecim circiter dies continuandas: præterea Elixirium viscerale Hoffmanni ventriculo pulchre convenire, et lac sulphuris intercurrenti forte obstructioni: venæsectionem in pede omni trimestri celebrandum, et anniversarium indicatorum fontium vsuum per omnem vitam continuandum esse.

Celebris Medicus Regius indicavit, morbi huius expositionem duplex comprehendere obiectum, vt affinitate, sic causa coniunctum: nimirum statulentiam intestinale, et similem vesicæ vrinariæ affectionem: vtramque nisi sede differre. Primam plethoræ hæmorrhoidalis et sanguinis venæ portarum impeditio- nis effectum esse, atque, plexus meseraici irritatione, spasmodum mirabilium communem notissimamque causam fieri: alteram satis aperte prioris vitii non nisi propaginem videri, vt causa conditionibus, sic etiam effectu simillimam. Ex vesica vrinaria, spasmo iterato affecta, necessario exprimi pituitam mucosam, recrementitiam, copiosam, stagnatione corruptam, inertem, et aëri retinendo imparem: hunc liberatum atque



atque collectum flatuum materiem suppeditare, eumque, vesicæ urinarie actione pressum atque compulsum, summa cum vehementia necessario expelli. Hanc theoriam solutionem omnium difficultatum continere. Indicationem curativam comprehendere spasmi resolutionem, et impedimenti hepatici ablationem: utriusque abunde satisfieri, sanguifugio hæmorrhoidali, pedis venæsectione, semicupis quatuordecim diebus continuatis, aquis mineralibus vitriolicis, viginti dierum spatio vsurpatis, et tandem aquis selteranis, lactis fero commixtis: urinæ retentionem canulæ longioris, et aëris, sive flatuum urinalium, molestam forte cohibitionem, syphonis auxilium postulare: cæterum animi, diætæque ordinem necessariam, et corporis exercitationem valde conducibilem esse: ægroto a crudis omnibus, leguminibus, farinaceis non fermentatis, imprimis clibanitis et pinquibus, carnibusque venatibus quæsitis, et cerevisiæ vsu abstinendum esse.


Medicinæ Professor Publicus docuit, ægrotum veterana laborare sanguinis et lymphæ spissitudine et acrimonia, infimi ventris humorum circulo imprimis inimica, et visceribus abdominalibus vehementer molesta: hanc, tum sæpius renovatæ inflammatorie dispositionis, et variæ congestionis, tum habitualis illius doloris colici, tum colli vesicæ urinarie constrictionis et dysuriæ, tum insomniæ, plurimorumque notatorum symptomatum causam existisse durabilem. Difficilius esse iudicium super flatuum ex wrethra insolenter erumpentium certa origine: constare quidem satis aperte ex ipso vesicæ urinarie cavo constanter processisse, verum incertum omnino esse, vnde illuc venerint, nec facile dicendum, aërisne elementorum lotio admixtorum fortuitæ liberationi simpliciter, an



ex intestinis advectioni rectius tribuendi videantur: hanc ultimam in vlceris, immediatam, canalem intestinale inter et lotii meatum, communicationem alentis coniecturam ducere, attentissima totius morbi decursus ponderatione nulla ratione confirmatam: interim impossibile in vniversum haud videri, vlcusculum intestinum inter quoddam proximum, et vesicam vrinariam, olim forte exstitisse, et cicatriculam reliquisse communem atque apertam, aëreæ transmissionis patientem et omnem aliam crassio rem materiem perfecte excludentem. Indicationem curatiuam præscribere tum humorum attenuationem et acrimoniæ correctionem, tum circuli sanguinis in abdomine et digerentis facultatis restaurationem integritatis perfectam: huic affatim satisfieri, præmissa pedis venæsectione, sollicitatione alvina, imprimis protractiore, aquis mineralibus ferruginosis purgantibus procuranda, et trium aut quatuor insequentium dierum spatio intercludenda, manæ etiam, si requiratur, aut salis cuiusdam laxantis additione augenda: deinde lavationibus domesticis tepidis, octiduo continuatis: tandem aquis medicatis alvum non, aut leviter saltem, ducentibus, per mensem integrum vsurpatis: ultimo largiori lactis vsu, per alterum mensem adhibito, a Medicis adstantibus exactius præscribendo.

Chirurgus Primarius breviter monuit, symptomatum descriptorum omnium diligentem et comparatam ponderationem morbi principalis causæ cognitionem aperte suppeditare: hanc esse prostaticum abscessum, telam circumfusam cellulosam laxam facillime confluentem, et labem ad contiguum vesicæ vrinariæ collum, rectique intestini plagam paralellam haud raro transferentem. Se dubitare de habitualis et vagi dolo.

doloris colici cum morbo principali nexu: ægrotum in vniversum flatibus, aliisque vitæ sedentariæ molestiis solennibus obnoxium videri. Tolerabilem Patientis præsentem statum diætæ ordinem, et prudentem gravissimorum negotiorum moderationem poscere: dolores colicos iterata alvi sollicitatione tutiuari, non tamen nisi minorativis procuranda: symptomatum graviorum recursum semicupia, decocta diluentia, diuretica, nitrosa, vnquentum mercuriale vrethræ affricatum, et tandem aquarum mineralium roborantium vsus postulare, Chirurgus celebris valetudinarii Primarius, verbosa responsione exposuit, Symptomatum differentium catervam ex duplici fonte provenire; hinc morbum oppugnandum non esse simplicem, sed affectionum distinctarum et independentium complicationem, tum viscerum venæ portarum influxui subiectorum, tum speciatim vrinæ secretioni et excretioni dicaturum. Sanguinis circuli in venæ portarum systemate impeditionem aperte indicari, animi illa viriumque deiectione, appetentiæ prostratione, moliminum hæmorrhoidalium evidentia, molesta flatulentia, et spastica arteriarum contractione, in pulsu satis constanter observata: ex adverso laticis vrinæ decessionem renum vitium arguere, vel constans, vel consensuale, a nervorum abdominalium affectione inductum: ægrotum vesicularum seminalium flacciditate aperte, et prostaticarum ex ulceratione probabiliter, sed nullo certissime intestini et vesicæ vrinariæ communi læsione laborare, quæ, si adesset respondens et vesicam intestino exacte nectens, liberam concederet atque reciprocam tui lotii per annum, tum focum intestinalium tenuiorum per vesicam vrinariam, excretionem, laxior autem marginibusque accurate non conglutinata, vtriusque



que excrementi in ventre diffusionem crearet: flatuum per penem erumpentium officinam videri vesicam vrinariam, et materiem, aërem lotio contentum et vinculis liberatum: insolentis huius liberationis causam prædisponentem esse, singularem quandam, vel ipsius sanguinis, vel organi vrinialis dispositionem, eandemque lotii, aëris liberati respectu, rationem hinc esse, vt aquæ bullientis Ex dictis elici, duplicem indicationem curativam inveniri: primam respicere viscerum abdominalium expurgationem, atque perfectam sanguinei motus in vena portarum restitutionem: alteram comprehendere rerum, vesicæ vrinariæ, et vrethræ differentium affectionum medelam: illam requirere lavationes tepidas, serique lactis, et alterantium decoctionum, sale glauberiano commixtorum, usum diuturnum, et tandem valentiorum aperientium et martialium roborantem medelam: hanc postulare prudentem atque protractum bacillorum caereorum, et mole gradatim augendorum in vrethram immisionem, fontica canalis vrinialis obstacula certo domantem, vrinæ retentionem, et hinc oriundam flatuum generationem, tuto impediendem, atque proflatarum vlceri efficaciter profuturam: cæterum regiminis diæterici ordinem exactissimum imprimis desiderari.


Scitis, Commilitones amantissimi, ipsum veritatis genium inviolabilem historiæ præscripsisse legem, vnanimi sapientissimorum virorum religione constanter observatam, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid verî non audeat: atque nuius ego observantissimus, casum rariorem et difficilem eo maxime consilio exponendum esse Vobis integrum existimavi, vt tum medicæ patientiæ et salutaris expectationis, tum indissolubilis triplicis curationis nexus, tum concinnæ et blandioris medelæ, tum tandem etiam summæ iudi-

iudiciis medicis difficultatis exemplar et testimonium
 haberetis illustre. Viderint consultorum virorum
 illa responsa, an causam suam per omnia defendere,
 eamque integrorum iudicum sententiis probare pos-
 sint? an in concussis genuinæ Physicæ fundamentis ia-
 nixa debitam certissimorum principiorum medicorum
 curam constanter habuerint? an optimi genuinæ Me-
 dicinæ Parentis monito auscultantes, ætiologicam in-
 tricatisissimi morbi considerationem non nisi apparen-
 tibus conformaverint? vel etiam Celsi præcepto ob-
 sequiosi, obscura omnia, ab ipsa arte reiecta, a cogi-
 tationibus suis similiter reiecerint? an non consulto-
 res medici Chirurgicæ rationem iusto minorem, chi-
 rurgici vero iusto maiorem habuerint? Nos, Optimi,
 non esse nostrarum virium talia discernere memores,
 tuto interim iudicabimus, stare Medicinam nisi mu-
 tuis auxiliis non posse, omnesque eius partes, quem-
 admodum natura iunctas, sic quoque officio copula-
 tas iuveniri, neque ægrotantium saluti invigilaturis,
 et sanitatem iusta cum fiducia promissuris sufficere,
 ynam modo et alteram Medicinæ partem attingisse, sed
 requiri, vt quis omnem inseparabilis artis scientiam
 perspexerit, et facultatem sibi, pro summis concessi
 ingenii viribus, feliciter comparaverit.

Verum attendite animos! Chirurgicæ velut summa-
 rium seriis Vestris cogitationibus nunc comprehendi
 cupio. Dabitur statim morbum recte definiti sensi-
 bilem sanitatis conditionum qualemcunque læsionem:
 huius multiplices causas necessario nocere, vel natu-
 rali fluidorum temperatura, vel legitimæ solidorum
 integritati: dictarum causarum actionem contingere
 aut generalem, aut effectuum quorundam lucidiorum
 saltem respectu, magis specialem: illam morbos cre-
 are vniuersales, hanc, singulari velut offensione no-




centem, particulares sive locales; vitium humorum late diffusum desiderare vt alterantem, sic etiam evacuantem medelam: solidis omnibus communium affectionum curationem respicere, tum rigiditatis, vel laxitatis, tum morbosæ deficientis, vel excedentis irritabilitatis correctionem: locales morbos humorales contingere nullos, nisi simul vitiata conditione solidi continentis: solidorum morbos creari; quando in parte organica res requisita ad functionis eius integritatem tollitur: hanc respective tolli, tum ab impedito, vel etiam suppresso, motu humorum; tum a causa valenter irritante; tum a solutione continui; tum a mutatione situs legitimi: tum a deformatione et concrecione vitiosa; tum tandem a varia necessario excutiendorum remoracione et retentione morbosa. Morborum vniuersalium accuratior consideratio Vos docebit, omnem alterantem medelam, nullo externo auxilio directe exsequendam, Chirurgicæ finibus in vniuersum et proprie omnino non contineri: ex aduerso peccantium humorum indicatam evacuationem venæsectionis, arteriotomiæ, scarificationis, sanguisugii, fonticuli, setacei, vesicatorii, errhini, sialagogi, enematisque efficacissimis auxilio feliciter procurari: similiter solidorum laxitatis excessum frictione, compressione, et frigida lotionè tuto corrigi: fonticam eorum rigiditatem vnctione, fotu, balneoque tepido efficaciter emolliari: nimix irritabilitatis sensum topicis emollientibus, obtudentibus, narcoticisque valenter refrenari: eiusque morbosam defectiorem externis irritantibus variis potenter iuari: fastigium autem chirurgicæ efficacix et magnitudinis, summumque dominatum, localium morborum numerosæ familiæ diligentior lustratio imprimis monstrabit: salivam Vestram in præsentem movisse sufficiat, at certe



certe laudabitis tandem, in omni tumore frigidus, omnique Atrophix, Gangrænx, Paralysis et Necrosis specie, externæ curationis summam efficaciam: in doloris, spasmi, et omnis inflammationis devictione maximam autoritatem: in vulnerationibus, ulcerationibus, fistulis, aneurismatibus, varicibus, ossiumque contracturis, et variis corruptionibus supremam potestatem: in hernia multiplice, prolapsu, articulo-rumque distorsione et luxatione faustissimum successum: admirabimini profecto calculi sectionis audacis dexteritatis fortunam, summisque applausibus conclamata: matris et prolis difficulter colluctatam salutis vindictam concelebrabitis.

Habetis, Commilitones Carissimi, ea, quæ super genuina Chirurgicæ indole, quam brevissime potui, cum Vobis communicare opportunum duxi, non quidem ut principalia quæque momenta dicerem sectatus, quod fere infinitum erat, sed ut talia, quorum salubri admonitione Chirurgicæ studium vehementer Vobis commendarem, eiusque amorem in animis Vestris incenderem, quem ego diligenter religioseque, in cunctis Scholæ nostræ se tradituris, vtilissima quæque et certissima tradendo, alere et sustentare, atque pro virium mearum tenuitate feliciter dirigere, omnibus studiis nunquam non contendam.

Nunc autem, cum summi scientiæ salutaris Professoris, et sanæ imprimis rationis, irreprobabili testimonio, nihil in Medicinæ studio vtilius videatur, quam scire, quonam ordine discendum, vnde incipiendum, quomodo pergendum, quibusque autoribus utendum sit: præterea nihil admittere, quod non faciat ad medicam scientiam, et nihil omittere necessarium, quod ad eam acquirendam pertineat: adeoque discendorum ordinis scientia non tantum vtilis et necessaria, verum
etiam



etiam vniversi stabilis ædificii solum et firmamentum recte iudicerur, certissimum huius etiam studium diligentissimum ego Vobis ante omnia commendare debeo

Vellem autem nullos, nisi in Philosophorum genuinorum scholis legitime præparatos, ad salutarium sacrorum initiationem accedere, vel etiam admitti: est enim indubitatum, physicam corporum cognitionem, mathematicis ac chemicis disciplinis illustratam, atque ad hominis habitum et robur prudenter directam, primam omnis medicæ cognitionis in concussi constituere fundamenti partem, eiusque defectu vniversam certissime scientiæ salutaris ædificationem vehementer vacillare, nullis hypothesium vavarum fulcris vnquam firmandam.

Vellem non nisi proximis auxiliatricibus disciplinis medicis accuratissime instructos, in sanctissimum medicæ sacrarium induci, et curationum mysteriis erudiri et imbui: nam experientiæ satis idoneo testimonio notissimum est, Anatomix, Physiologiæ, et materiæ medicæ curiosæ cognitionis neglectum, in discipulorum animis obscuritatem relinquere impentabilem, atque per omnem denique vitam dubitationem, erroresque gravissimos et inevitabiles, tum ausus temerarios, et vicissim diffidentiam creare, summis etiam felicioris ingenii nixibus perfecte vix vnquam vincendam. Vellem imprimis studiis salutaribus locum aptissimum prudenter eligi et diligentius frequentari: nimirum necesse est, ad veræ morborum rationis convincentem scientiam, et exploratæ curationis facultatem omnibus viribus contendere, non autem indigestæ cuiusdam eruditionis, aut sectæ, medicæque garrulitatis, et scholasticæ arrogantix inhonesto studio tempus et otium biennii trienniique academici conterere, atque salubrem genuini Medici personam

sonam simulare, et summa cum audacia per hominum
vitas et mortes periclitari.


Perlustrate venerabilis vetustatis annales, obvia
sparsim monumenta medica Vos docebunt, Clarissi-
mos artis salutaris Professores, salubri prorsus disci-
plina, et artis temporumque exigentiæ pulchre accom-
modata, felicioribus illis antiquæ et consistentis Me-
dicinæ temporibus, non nisi privatum alumnorum ma-
gisterium suscepisse, et diuturna duntaxat tum insti-
tutione, tum maxime exercitatione feliciter absolvisse:
videbitis maturam celebrium scholarum et publicæ
institutionis autoritatem in vniversum tandem præva-
luisse, eamque in Academiis illustribus perennem
nostra ætate spectatis; quam vtilem certissime et com-
modam esse, plurimoque respectu discipulorum ac do-
centium, imo ipsius splendidioris hodiernæ artis desi-
deratis feliciter respondentem inveniri, recte omni-
no indicabitis, verum attendite! dolebitis haud
minus in Medicorum scholis, longe protecto pluri-
mis, et tanta cæterum academicæ sapientiæ concinna
coniunctione, legitimæ tamen practicæ manu ductio-
nis, docentium quidem non voluntatem, sed omnes
loci apti commoditatis articulos, cunctaque inevita-
bilis morborum observationis et exercitationis admi-
nicula certa et suffectura in vniversum omnino deficere:
hinc is ego autor Vobis fieri ardentissimis votis
cupio, vt persuasissimum habeatis, cathedrarias Pro-
fessorum prælectiones, adminiculis idoneis, et quoad
fieri conceditur, sensibilibus omnibus diligentissime
illustratas, solidæ et fundamentalis theoriæ medicæ
acquirendæ in vniversum quidem sufficere, genuinam
autem institutionem practicam, ipsius naturæ huma-
næ oraculorum propriæ observationi superstructam,
discipulis animum ad assensum potenter cogentem, ab
omni



omni frivola speculatione abhorrentem, et salutarium mysteriorum summam continentem, necessario desiderare præfulem, requisita doctrina imbutum, et longo curationum usu confirmatissimum, prudentem, modestum, et artis limites distincte noscentem, et candide declarantem, Phænomena morborum, in valetudinario apte ordinato, ipsa ducente natura, diligentissime observantem et explicantem, eventuum casus sagaciter prædicentem, medelæ indicata distincte illustrantem, et curationum tum media omnium efficacissima et comprobata, tum methodum rationalem et simplicissimam indicantem et præscribentem, discipulosque suos, summa cum diligentia et hippocratica antiquitate, medicæ imprimis observationis, et probatæ curationis legitimas rationes perdocentem, eosque tutissime hac viâ, et gradu prudenter suspensò, ad beatissima illa Pauacæ delubra secure ducentem. Nolite itaque non nisi institutione perfecta, et studio consummato, delectari et acquiescere: nolite imprimis ad eam miserabilem levitatem deficere, ut intra formulariæ artis, vel etiam spontanæ mediocritatis, inhonorabiles limites Vos contineri sustineatis: liberalia ingenia ad optima niti, et genuinos salutaris Apollinis filios toto animo artis fastigium petere convenit. De reliquo sequentium memoriam ex animis Vestris nunquam amitti cupio: ad Medicinæ fastigium non nisi ex præcedentibus initiis perveniri: initia omnium litterarum et artium aspera esse, et sola memoria constare, eorumque neglectum vehementer perniciosam et irreparabilem certo tandem inveniri: hinc statim præstantissimis præceptoribus et summo studio, opus esse, valdeque cavendum in prima institutione quibusdam vitiis imbui, quæ robustos tandem et viros ab institutione illa juvenili prosequan-

sequantur: vni disciplinæ, aut saltem non multis, iisque affinis, tota mente omnique impetu incumbendum esse, secus animum confundi, et absque utilitate defatigari: omnia disciplinarum studia indefessa lectione semper iuari, verum prima atque matura non nisi Præceptori probata, stabili, attentata, et certis ingenii fatis immorante: ceterum discipulos in vniuersum doceri, ne semper docendi sint, et animis liberalibus, benignam sui ingenii venam sentientibus, omnem docentis institutionem magis pro occasione propriæ diligentia tum demum valere, quam pro formula et autoritate: iudicia instructa et exercitatione firmata, iamque maximam partem extra periculum posita, ex amantissimo antiquorum commercio, summa cum utilitate, solidam ac civilem ingenii vim assumere, medicæ autem eruditioni sufficiens otium non nisi ætatem suppeditare, eiusque amorem et vsum, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio intercludi et terminari.

Quod autem, Commilitones Carissimi, in vniuersum significare convenit, nihil omnino præcepta, studium, et artes valere, nisi adiuvante natura, idem, ipsa veritate ita cogente, de sublimioribus chirurgicæ curationis articulis imprimis testandum est: nolo in commoda eius discendæ ratione pluribus verbis commorari, quam studii medici præceptionibus in vniuersum contineri, atque doctore perito, studio pertinaci, multaque et continua exercitatione indigere ipsi iudicabitis, verum attendite ad eruditam mendentis manum, summa dexteritate et confidentia mirabile quoddam genus artis exercentem, non nisi singularium animi et corporis dotium beneficio perfectè attingendum, et reluctante natura nullo certissime mentis et animi impetu vnquam assequendum: nolite
tamen



ramen animis concidere, et inexperti de ingenis Vestris et facultate illiberaliter desperare, imo excitemini ad summos constantissimosque conatus ipsa illa artis tanta magnitudine: excitemini, tum modi eius atque rationis scientiæ necessitate, genuinis Medicis omnibus inevitabili, tum summa eius pulchritudine et excellentia, qua animus incredibili robore confirmatur, atque supra misericordiæ innatum illum angorem adeo extollitur, vt in extremis malis vsque ad necessarium, quamvis miserabile, curationis genus procedere, et summam eius difficultatem feliciter superare sustineat: excitemini tandem ipsius artis vtilissimæ indigentia, nam aliquando videbitis, multa nondum in ea luce collocata esse, quam eorum magnitudo cum postulat, tum etiam admittit, et capit: alia esse plane neglecta, et expectare doctorum ingenium, doctrinam, et diligentiam, adeoque imprimis Vestram, qui summo studio salutare genuini Medici nomen Vobis comparare et retinere allaborabitis.

Litteris MICHAELIS CHRISTIANI BOCKII.




Ud 510
S


ULB Halle

3

005 355 133







Farbkarte #13

B.I.G.

Christ. Joh. Bergeri
in Christiano-Albertina M. P. P. O.
Super
CHIRURGICÆ
genuina indole, et recta discendæ
ratione, ad Medicinæ Studio-
fos allocutio.



Hæc aut omnino non discimus, aut prius
desistimus, quam intelligamus cur di-
scenda sunt.

Hamburgi 1775.
apud Buchenröderum et Ritterum.